in angelo lucis, bene interpretantur ypos
tasin et cum id quod ipsi exponunt habere
me dicam hereticus iudicor, quid tam
anxie unum uerbum tenent, quid sub am
biguo sermone latitant, si sic credunt
ut interpretantur non damno quod retinent, si
sic credo ut ipsi sentire se simulant per
mittant mihi meis uerbis suum sensum
loqui. Quam obrem obtestor beatitu
dinem tuam per crucifixum mundi salutem
per omousian trinitatem, ut mihi epis
tolis tuis siue tacendarum siue dicendarum
ypostaseon detur auctoritas, et ne forte
obscuritas in quo ego loci fallat ba
iulos litteras ad euagrium presbyterum
quem obtime nosti dignare scripta
transmittere, simul etiam cui apud
antiochiam debeam communicare sig
nifices quia campenses cum tarsensibus
hereticis copulati nihil aliud am
biunt quam ut auctoritate commu
nionis uestrae fulti tres ypostasis
cum antiquo sensu praedicent. EXPLICIT

EPIST HIERONIMI PRBI
AD PAPAM
VI DAMASUM

Ad eundem

IMPORTUNA IN EUAN
gelio mulier tandem meruit
audiri et clauso cum seruis ostio media
licet nocte ab amico panes amicus
accepit, et ipse quem nullis contra se
superare uiribus potest publicanorum
precibus uincitur, Niniue ciuitas
quae peccato periit fletibus stetit,
quorsum ista tam longo repe
tita principio, uidelicet ut paruum
magnus aspicias, ut diues pastor
morbidam non contemnas ouem, Xps
in paradisum de cruce latronem
tulit, et ne quis aliquando seram
conuersionem putaret fecit homicidii
poenam martyrium, Xps inquam
prodigum filium reuertentem laetus
amplectitur et nonaginta nouem
san pecudibus derelictis una ouicula
quae remanserat humeris boni
pastoris aduehitur, Paulus ex
persecutore fit praedicator, oculis
carnalibus excaecatur ut mente
plus uideat, et qui uinctos Xpi
famulos ducebat ad concilium
iudaeorum ipse postea de Xpi uin
culis gloriatur, Ego igitur ut ante
iam scripsi Xpi uestem in romana
urbe suscipiens nunc barbaro
Syriae limite teneor, et ne putes
alterius hanc de me fuisse senten
tiam quid mererer ipse constitui, ue
rum ut ait gentilis poeta caelum non
animum mutant qui trans mare currunt,
ita me incessabilis inimicus post
tergum secutus est ut maiora in so
litudine bella nunc patiar,
Hinc enim praesidiis fulta mundi arri
ana rabies fremit, hinc in tres

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0090